

Philo.

illustissimi viri spiritus mundi illecebris, amplectentes vitam eremiticam, per desertum & speluncas veneracioni, ac cultui Dei integre se committunt. Unde pulchre ait Philo lib. de vita contemplativa, loquens de viris colentibus eremiticam vitam. Perpetuam, inquit, habent Dei memoriam, ut ne in somnis quidem aliud eis obversetur, quam imagines divinarum pulchritudinum: & sunt in his, qui somniando produnt praeclaras sacrae Philosophiae sententias. Ita Eremita unice vacans Deo, ut sive vigilando, sive dormiendo, sive somniando, sive operando nihil aliud curent, quam Dei cultum, & veneracionem.

218.

Cum maxime tota Aegyptus premeretur temeritate, ac grandine, postulat Pharaon a Moyse, ut plagam imponatur terminus, utque cesset, qui peritioni Regis annuens ait: Cum egressus fuero de urbe, extendam palmas meas ad Dominum, & cessabunt tonitrua, & grando non erit, Exod. 9. n. 29.

Exod. 9.

Sed cur Moyse non expandit manus in media urbe coram Pharaone, ac aulicis suis. Ut ita maxime omnibus innotescat, quanta sit vis, ac potentia ejus; hoc tamen renuit Moyse in civitate, sed ad desertum, ut deinde, acque reseruat? Extensio manuum ad Dominum veneracionis, ac orationis est signum, & ita habet Chaldaica. Extendam manus meas in oratione ad Dominum, Magna prudentia, hujusmodi preces, ac Religionis cultum, non in hominum tumultu, sed in deserto, tanquam commodiori loco praestat Moyse, ut ibi magis liber a terrenis perturbationibus Deo vacaret. Unde ait D. August. 17. in Joan. Difficile est, in turba videre Christum: solitudo quadam necessaria est menti nostrae. Quaedam solitudine intentionis videtur Deus. Turba strepitum habet; visio ista secretum desiderat. Moses Exod. 3. n. 1. Cum transisset gregem ad interiora deserti, apparuit ei Dominus. Si enim ad desertum cogitationum terrenarum confugimus, statim nobis aderit, & apparebit Dominus. Vide lib. 3. cap. 1. q. 14. n. 44.

Chaldaica. Locus desertus aptus orationi.

August. Solitudo apta ad Deum videndum. Exod. 3.

Ioannis 4. n. 24. Spiritus est Deus, & eos, qui adorant eum, in spiritu, & veritate oportet adorare.

VERSIONES.

Syriacus. Spiritus enim est Deus. Hebraeus. Spiritus est Deus: proinde eos, qui adorant eum. D. Chrysost. bo. Et adoratores ejus spiritu, mil. 32. Vata. & veritate oportet adorare, Arias. rare.

EXPOSITIO.

219. REDIT Dominus rationem superioris sententiae, cur Pater hujusmodi adoratores in spiritu, & veritate quaerit, quod explicatius habet Syriacus; Spiritus enim est Deus. Illa particula enim, denotat causam. Adoratio namque conformis

esse debet adorato; & cum eo proportionari. Unde ait Divus Thomas, ut dicitur Ecclesiastic. 13. n. 19. Omne animal diligit sibi simile: ergo S. Thom. Deus in tantum diligit nos, in quantum ei assimilamur: sed non assimilamur ei, secundum carnalia, quia est incorporeus; sed secundum spiritualia, ad quos. Ideo adoratio debet esse in spiritu, & veritate. Similiter Theophylactus, Euthymius, Carthusianus, Rupertus, Cajetan. Illa adoratio est in spiritu qua procedit a virtutibus animi, scilicet Fide, Spe, Charitate, ac reliquis, & quando hujusmodi internae informant, ac concomitantur actiones externas, Spiritus est Deus. Marinus Victorius, Soterius Africanus lib. 3. contra Arrium, & Phocas Phocadius. badius Episcopus contra Arrianos, advertunt, quod hic ponitur Deus, seu Pater pro tota Trinitate. Ita propositio, Spiritus est Deus, ita construenda est: Deus est Spiritus: ita Deus sit subiectum, & non praedicatum. Et dicitur Deus; tam huc usque Patrem vocaverit, ut denotetur, quod ille, qui est Pater, est verus Deus. Et eos, qui adorant eum. Particula illa Et; ex Hebraeo idem valet, ac proinde, seu ergo. Adoratores ejus in spiritu cum affectu cordis, ac virtutibus internis; & veritate, hoc est, cum vera cognitione Dei; & non cum figuris, & umbris, ut satis explicavi superiori quaest. Oportet adorare, ut adoratio decenter, ac congruenter fiat proportionata naturae illius, qui adoratur. Unde infert Divus Augustinus Epistol. 6. Quod si ex eo, quod Deus sit Spiritus ut oportet, ut adoratio sit in spiritu, si adorare, quanto magis videre?

QUESTIO XXXIII.

Quare Deus dicatur hic Spiritus, & non Veritas ex contextu sermonis, vel ignis; ut in veteri Testamento?

220. Duplicem hic excito quaestionem: Cur Deus hic dicatur Spiritus, & non Veritas, vel ignis? Et quantum ad primam, Contextus sermonis est, quod adoratio debeat fieri in Spiritu, & veritate; & ad hoc hic subditur ratio; Spiritus enim est Deus. Ergo, si ex eo quod Deus est Spiritus, sequitur quod sit adorandus in spiritu; cum sit veritas, sequitur etiam, quod in veritate sit adorandus. Ac proinde cur non dicitur, Deus est veritas, sicut dicitur, Deus est Spiritus? Recte respondet Albertus Magnus, quod Dominus mulieri Samaritanae demonstravit, Deum esse adorandum in spiritu, quia Deus est Spiritus, ut refutaret errorem Samaritanorum, qui reputabant, Deum esse localem, & corporeum. Non autem hic exprimitur, quod Deus sit veritas, sed subintelligitur, tanquam valde omnibus notum, ita ut nullus sit, qui neget, Deum esse veracem. O praeclarum veritatis encomium? Quamvis enim haeretici, multas perfectiones Deo denegare non vereantur; nullus tamen ausus est, ingentem ei veritatem inferiori. Secundo ad hanc quaestionem responderit Tolerus in Comment. Christum voluisse probare adorationem in spiritu: nam adoratio in veritate non indiget probatione; si enim in adoratione est falsitas, adoratio mala est, ac proinde Deo

221. Quaesio secundum Deuter. 4.

Tertull.

Deus ante incarnationem servatus: post vero totus beneignus.

Hieron. 222.

Luc. 9. Theoph. Euthym. Bonavent.

Deus igneus ante incarnationem, ac post totus beneignus.

Psalm. 71. Bostrensis.

Deo disconveniens, eique maxime displicet. Quaesituncula secunda est, quod passim in veteri Testamento Deus ignis appellatur: Dominus Deus tuus ignis consumens est, Deuteron. 4. n. 24. Si ergo Deus in lege veteri dicitur ignis, cur hic in lege gratiae dicitur spiritus? Ratio literalis est manifesta ex dictis in expositione. Dicitur hic spiritus, ut probetur, adorationem debere esse in spiritu, & proportionari cum adorato, ut ibi dixi. Eleganter Tertullianus lib. de Trinitate. cap. 7. in fine, solvit quaestionem. In veteri Testamento, ait, ideo Deus ignis dicitur, ut peccatori populo metus incutatur, dum iudex ostenditur. Et in novo Testamento spiritus esse profertur, ut refector, & creator in deliciis suis mortuorum per hanc bonitatem collatae ordemibus indulgentia comprobentur. In veteri Testamento ignis Deus erat consumens delinquentes, ac flagrans in ira ad vindictam. At in nova lege spiritus est, vitali habitus gratiae, ac auxiliorum dans vitam mortuis in suis deliciis, & resuscitans eos ad salutem, ac inspirans in eorum facies deperditam imaginem Dei, & omnia sua misericordia recreans. Et si in lege gratiae divinus spiritus in Actis Apostolorum 2. n. 1. apparuit sub forma ignis, non erat consumens, & cuncta eradicans, ut olim; sed illuminans, & tribuens charismatum dona, ut ponderat D. Hieron. in cap. 6 s. Isai. num. 15.

Totus ignifer Deus olim erat; cum Moysen ad libertandum Israel legatum mittit in igne apparet, Exod. 3. n. 2. Dans legem in monte Sinai in igne descendit, Exod. 19. n. 19. Turpiter luxuriantur Sodomitae, ignis super eos venit de caelo, Genes. n. 24. Delinquent filii Aaron offerentes alienum ignem, ab igne devorantur, Numer. 3. n. 4. Obmurmurat populus contra Moysen, ignis accensus est a Domino; Numer. 12. n. 1. aliis multis locis. Cum tamen Christum Jesum Samaritani nolent recipere, zelo accensi Jacobus & Joannes dixerunt: Domine, vis dicamus, ut ignis descendat de caelo, & consumat eos? Luc. 9. n. 54. Et haec dicebant filij Zebedaei, ut notant Theophylactus, Euthymius, B. Bonaventura, communi exemplo Eliae, qui in duces impij Regis, ipsam injuriose tractantes ignem excitavit descendere de caelo, Reg. 1. n. 10. At petitioni Apostolorum, non solum non annuit Dominus, sed potius conversus increpavit illos dicens: Nescitis, cujus spiritus estis. Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare, ibidem n. 56. Si haec tenus Dominus totus erat in igne ad perdendos homines, cur reprehendit Apostolos intentantes ignem mittere in sacilegos, ac in hospitales Samaritanos: Nescitis, cujus spiritus estis? Olim ante incarnationem totus Deus erat in igne devorante. At postquam factus est homo, jam non est ignis, omnia consumens, sed salutaris pluvia, ros, ac stillicidia omnia recreans & fecundans. Descendit sicut pluvia in velum, & sicut stillicidia stillantia super terram. Psalm. 71. numero 6. Titus Bostrensis ad locum Lucae. Id, ait, arguit, novi Testamenti gratia necdum fuisse imbutos, sed veteris consuetudinis imperfectioni obstrictos adhuc haesisse. Dicebant hoc enim, in Eliam, qui bis quinquaginta viros una cum ducibus illorum igne, absumperat, mentis obstructionem conjicientes.

Ioannis 4. n. 25. Dicit ei mulier: Scio, quia Messias venit, qui dicitur Christus; cum ergo venerit, ille nobis annunciabit omnia.

VERSIONES.

Hago. Syriacus.

Novi, quia Messias venit; Scio, Meschicho esse venturum, & quum venerit, ille docebit nos omnia.

Pagnin. Cajet. Scio, quod Messias venit; Multi ex Graeco. Scio, quod Messias in propinquo est.

EXPOSITIO.

223. Graves sunt authores, qui dicunt quod Christi responsio ingrata fuerit mulieri; & quod illa eam iniquo animo pertulerit: si quidem Dominus in sua reprehensione Judaeos praetulit Samaritanis: Vos adoratis, quod nescitis: nos adoramus; quod scimus; quia salus ex Indis est. Ideo inquit: Cum Christi doctrina displiceret; mulier solutionem ad tempus Messiae referit: nunquam mens acquiescit dictis, quae ei videntur inuisa. Vel; ut ait Cajetan, Samaritana recubabat instrua Propheeta Judaeo; & ideo se remittit ad tempus Messiae. Est tamen simpliciter dicendum, quod mulier sagittata doctrinae Christi sublimitate; & fortasse, quia non capiebat quid esset, adorare in spiritu: ideo exactam explicationem, & confirmationem eorum, quae dicebantur a Christo; ad tempus Messiae rejicit, quem sciebat futurum commonem magistrum. Et ait mulier: Scio quia Messias venit; sciebant enim Samaritani, ut notat Chrysostomus homil. 32. adventum Messiae ex libris Moysis, quos recipiebant. Ex quo prophetia Jacob Genes. 49. n. 10. Non auferetur sceptrum, &c. Ex prophetia Moysis, Deuter. 18. n. 15. Quia, id est, quod, ut legunt Pagninus, & Cajetan. Notum erat Messias venit, Syriacus, Chrysostomus homil. 32. Messiam venturum, seu, ut communiter ex Graeco legunt Recentiores, Scio, quod Messias jam adveniat ac in propinquo est, breviter nobis aderit, Notum enim erat apud omnes, tum ex ipsa prophetia Jacob; tum ex multis aliis quod illud erat tempus determinatum adventus Messiae. Et rumor, ac fama ex testimonio Baptistae jam totam impleverat regionem, Et mulier ad hoc tempus retulit verba, quae Christus dixerat: Venit hora, & nunc est. Textus, Qui dicitur Christus. Interpretatio est nominis: posita ab Evangelista. Nam Messias nomen est Hebraicum, significat Graeco Christum. Graecum enim scripsit Joannes, Latine vero denotat unctum; Et cum ille venerit, annuntiabit nobis, seu, ut habet Syriacus, docebit nos omnia; nempe in quo loco sit adorandum; & quid sit Adoratio in spiritu; Et quia mulier tota erat avida suae salutis meruit audire a Christo quae sequuntur.

Ioannis

Ioannis 4. n. 26. Dicit ei Iesus: Ego sum qui loquor tecum.

VERSIONES.

Arias Ego sum loquens tibi.

EXPOSITIO.

224. EXPERTUS Dominus mulieris docilitatem, ac ardens desiderium cognoscenda veritatis, & annuntiationis Messiae, se illi manifestat, & dicit: Ego sum, qui loquor tecum. Non statim a principio sermonis se Dominus illi revelat, ex duplici causa, ut notat D. Chrysostr. homil. 32. Primo, ut arrogantia vitaret suspicionem: nam si statim in limine sermonis diceret mulieri, quod ipse erat Messias, fortasse daretur mulieri occasio irridendi, & sui jactator videretur. Sed Dominus magno consilio gradatim inducit mulierem ad fidem, & longum cum ea inserit sermonem: primo, ut mulier quid magnum concipiat de eo, quod esset Propheta, & vir valde prepotens & postea cum occasio desert, ut sermo incidit de Messia, cujus presentia mulier se maxime avidam declarat, tunc Dominus opportunam nactus occasionem se manifestat. Ex hoc loco monet D. Cyrillus, ut magister, ac pradicatores se auditoribus accommodent, ne ea tradant, que eorum transcendunt intellectum, sed gradatim procedant. Perbellè ponderat D. Chrysostr. quod Dominus differens cum Nicodemo attulit serpentinem ex Scriptura Joan. 3. num. 14. Et Nathanael traditur testimonio Prophetarum Joan. 1. n. 45. Erant enim viri, & in Scriptura versati. At Samaritana, ut rudis mulier allicitur pollicitatione aqua: Si tu perisses, dedissem tibi. Cui libet se accommodat Dominus.

QUÆSTIO XXXIV.

Quare Dominus, se esse Messiam, apertè manifestat Samaritanæ, non verò Iudæis interrogantibus?

225. QUAMVIS mulier vehemens desiderium Messia ostenderit, non tamen quaesivit à Christo, An ipse esse Messias. Et tamen Dominus apertis verbis proficitur se ipsum esse. At cum interrogaretur à Iudæis, An esset Messias; non se perspicuis verbis declaravit. Circumdederunt enim Iudæi, & dicebant ei: Quousque animam nostram tollis? si tu es Christus, dic nobis palam. Joan. 10. num. 24. Et tamen Dominus non respondet apertè: Ego sum, qui loquor vobiscum, ut Samaritanæ. Immo ipsum esse Christum, prohibuit suis Apostolis, predicare. Matth. 16. num. 20. Tunc præcepit discipulis suis ut nemini dicerent, quia ipse esset Iesus Christus. Ad hanc quæstionem respondet primo Divus Chrysostr. homil. 2. Fidelior; ait, Samaritana erat Iudæis, qui, non discendi, sed arguendi causa regabant: nam si discere voluissent, verbum, Scripturarumque, & miraculorum sufficiens

eis fuisset doctrina. Samaritana simplici; & integrè mente petitis, ut ex sequentibus facile potest intelligi. Audivit eum, & credidit, & alios ad credendum traxit. Similiter respondent Ammonius, Origenes, Euthymius, Theophylactus, Albertus, Magnus, D. Thomas, D. Bonaventura, Iudæis non respondet Dominus apertè, se ipsum esse Messiam, quia malitiosè quærebant, ut haberent ansam eum calumniandi; & facile id ex operibus, miraculis, ac doctrina Christi poterant apprehendere. At hæc mulier, nec miracula, nec opera viderat, nec Christum mirabiliter prædicantem audierat, sed tantum simplici affectu Messiam desiderabat, ideo se illi revelat Dominus, quia quod superba astutia non obtinet, facile humilis simplicitas apprehendit: Constitute tibi Pater, quia abscondisti hæc à sapientibus, & revelasti ea parvulis, Matth. 11. num. 25. Et hæc est germana ratio.

Secundò Cajetanus, Iudæis, ait, distulit Dominus, palam dicere, se esse Messiam; & tamen nunc sponte Samaritanæ dicit, se esse Messiam. Et ratio est, quia hæc manifestatio non erat periculosa ad præveniendum passionem ejus, & ut non solùm Judæos, sed etiam primitias Gentilium dignas efficeret manifestatione tanti mysterii ore proprio. Hæc Cajetanus. In quibus duplicem in culcar rationem, Non dicit Dominus, manifestè Iudæis, se esse Messiam, ne daretur occasio, ut ipsum ante tempus apprehenderent, Deinde in hac muliere figurabatur Gentilitas, quam Dominus voluit honorare se illi proprio ore, esse Messiam, & Regem declarando, ac manifestando.

Tertiò. Rupertus lib. 4. in Joan. Ecces ait, quomodo Christus Samaritana alienigena semetipsum credidit, quem Iudæis non crederat. Et ostendit illi honorandum nominis sui thesaurum, quod in patria sua, scilicet Iudæa, nec dum prodiderat, ne, mox quod futurum erat, pretiosam nominis ejusdem margaritam porci conculerent, & hoc sanctam caninâ rabie blasphemantes corroderent. Non in Iudæa patria sua perspicuis verbis proficitur Dominus se esse Messiam; sed hoc in terra aliena aperit: Ego sum; quia potius ab alienigenis, quam à compatriotis Dominus erat honorandus. Deinde non Iudæis, sed Gentibus, quæ in hac muliere designabatur, ait Ego sum, scilicet Messias, quia superbi Iudæi in sua obcecatione permanentes noluerunt aperire aures, ut audirent: Ego sum. Et ideo hoc revelat Dominus humili Gentilitati, quæ ob suam ignorantiam non poterat oculos elevare. De Israëlitis ait Dominus per Oream c. 1. n. 9. Voca nomen ejus: Non populus meus, quia vos non populus meus & ego non ero vester. Israël ob suam incredulitatem promeruit, ut jam non dicitur populus Dei; & ita à Deo abjectus est, ut ab ipso dicitur: Non populus meus. Ad ad Gentes convertus Dominus statim ait: Et erit in loco, ubi dicitur eis: Non populus meus vos; dicitur eis: Filii Dei viventis. Ad populum Gentium est sermo, qui cum non esset populus Dei, ab ipso peculiariter assumptus est in suum populum, ex quo filii Dei procreati sunt.

Ioannes 4. n. 27. Et continuò venerunt discipuli ejus, & mirabantur, quod cum muliere

muliere loquebatur; nemo tamen dixit: Quid quæris? aut quid loqueris cum ea?

QUÆSTIO XXXV.

Quare mirantur discipuli, quod Dominus loqueretur cum muliere?

VERSIONES.

Syriacas. Eoque loquente venerunt discipuli ejus, & mirati sunt, eum cum muliere loqui.

Vatablas. Et interim venerunt discipuli ejus; nemo tamen dixit: Quid quæris? aut cur loqueris cum ea?

Arias. Et super hoc venerunt: D. Cyrilian. lib. de sing. cler.

Græcas. In hoc, seu cum hæc discerentur.

EXPOSITIO.

229. DUM Dominus cum muliere loqueretur; venerunt discipuli quorum presentia finis impostus est colloquutioni inter Dominum, & mulierem, ut vult D. Cyrillus lib. 2. c. 196. Potius tamen cum D. Chrysostr. homil. 32. dicendum est; quod venerunt discipuli, cum jam nihil amplius ad dicendum relinqueretur. Maxime curavit divina providentia, ut discipuli prius abessent, ut mulier commodius, minori que cum verecundia intraretur. Postea verò, cum jam fidei scintilla, ut ait D. Cyrillus, esset emissa in cor ejus, venerunt discipuli. Primò, ut Christi virtutem agnoscerent, & de muliere conversâ gauderent. Tertio, ut eorum diligentia pateficeret: Continuò venerunt, hoc est, dum Dominus loqueretur cum muliere. Albert. Magn. aliter explicat: venerunt continuò, id est, cum diligentia, ac festinatione, tantam boni ministri volentes Domino ministrare, & compatientes, quod Dominus esset quaesatus via. Vidisti virum velocem in opere suo? coram Regibus stabit, nec erit ante ignobiles. Proverb. 22. num. 29.

Sequitur secundò admiratio discipulorum: Et mirabantur. Unde eleganter ait D. Augustinus 17. Bonum mirabuntur, non malum suspicabantur. Nullus enim discipulorum malum suspicatur de ipsa locutione, ut præter Augustinum notant Beada, Albert. Magn. D. Thom. D. Bonav. Hugo, & alij; omnes tamen mirabantur. Cujus rei causa ponitur, quod cum muliere loqueretur, erat enim præter consuetudinem Domini, loqui cum muliere extranea: Nemo tamen dixit; ut solent, qui admirantur rei causas quætere. Quid quæris, aut quid loqueris? Ecce reverentia discipulorum in magistrum: omnes illius facta reverentur; nullus tamen audeat, ea examinare, aut temerè interrogare.

Sylveira in Evang. Tom. II.

AD hanc quæstionem respondet primo D. Chrysostr. homil. 32. Mirabantur, ait, discipuli facilitatem, & incredibilem Christi humilitatem, quod tam clarus, & tanti nominis, pauperem, & Samaritanam mulierem benigne alloqui non designaretur. Ammon. Quod cum alienigena, ea que pauperula Samaritana loqueretur, admirabatur: norant enim, eum, quidquid agebat, occultâ quadam cognitione, aique pietate peragere. Origen. D. Cyril. l. 2. c. 97. Euthym. Theoph. Leont. Expende verbum. Quod tam clarus pauperem mulierem alloqui non designaretur. Noverant discipuli, quod Dominus in factis suis alta ratione movebatur; & non poterant apprehendere causam, ob quam tantus Dominus, & tam magnus cum inope muliere adeo benigne loqueretur. Et hujus admirationis causa inde fortasse ortiebatur, quod tunc discipuli erant incipientes in schola Christi, imperfecti, & adhuc nostræ humanæ conditionis ingenium sapiebant quod maxime solent cum pauperulis superbe, ac contemptiliter agere, & loqui. At Dominus dat exemplum, egenos amabiliter tractare Congregati. Eocl. 4. pauperum assabilem te facio. Eocl. 4. n. 7.

Secundo. Beda Albert Magn. Non mirabantur, inquit, quod cum muliere loquebatur, cum quibus loqui consueverat; sed quod cum alienigena: ignorantes mysterium Ecclesia, de Gentibus fuerit. Similiter D. Thomas, D. Bonaventura, & favent D. Thom. verba Ammonij supra relata. Notum erat discipulis, Iudæos Samaritanis non cœtî; sicut & mulier admirata est; quod Christus, cum esset Iudæus, à muliere Samaritana porum petisset, siquidem Iudæi non conversabantur cum Samaritanis; sic & discipuli potuerunt etiam in admirationem rapi, quod Dominus cum alienigena loqueretur.

Tertiò, & mihi vera sententia. Mirabantur discipuli, quod Dominus cum muliere loqueretur solus cum sola; quamvis loco publico, remotis tamen arbitris, non quia aliquid finistum de Domino cogitarent; sed quia alienum erat à Christi consuetudine, cum mulieribus loqui; præsertim cum illis, quæ sibi sanguine non erant conjunctæ; nec hæcenus Christum cum mulieribus extraneis viderant loquentem. Hanc sententiam inculcat. D. Cyprianus lib. de singularitate Cler. Eam tradunt Cajet. Hugo, Maldonatus, Barradas, Beaulkames, & alij. Et hæc sententia cæteris est præferenda. Nam dicitur in textu: Mirabantur discipuli, quod cum muliere loqueretur. Ergo ratio admirationis erat, non quod haberet sermonem cum pauperula, vel cum Samaritana, sed cum muliere. Unde ait Cajet. Nulla alia redditur ratio hujus admirationis, nisi locutio Christi cum muliere. Et dixit hoc Evangelista ad significandum, insolitam fuisse locutionem Christi cum muliere.

Tam vehementer Dominus declinabat consortium fœminarum, non propter se, quia in ipsum non poterat cadere peccatû, sed ut bonus